

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Consideracio sui ae
cum fonte primo

Redi ergo ad cor tuum et subtiliter discute te ipsum. Considera unde uenis, quo tendis, quomodo uiuis, quid agis, quid amittis, quantum cotidie proficis, uel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incuraris, quibus affectibus frequentius tangeris, uel quibus temptationum machinis a maligno spiritu acrius impugnaris.

Et cum totum interioris et exterioris hominis statum et habitum et quantum possibile est plene cognoueris, non solum qualis sis, uerum eciam qualis esse debeas, de cognitione tui poteris subleuari ad contemplacionem Dei.

Hugo ibidem (libro III. de anima capitulo VI.).

Redi ergo ad cor tuum, et diligenter discute teipsum. Considera unde uenis; quo tendis; quomodo uiuis; quid agis; quid amittis; quantum quotidie proficis; uel quantum deficis: quibus cogitationibus magis incuraris; quibus affectionibus frequentius tangeris; uel quibus tentationum maculis a maligno spiritu acrius impugnaris.

Cum totum interioris exteriorisque hominis statum et habitum, in quantum possibile est, plene cognoveris, et non solum qualis sis, uerum etiam qualis esse debueras; de cognitione tui poteris subleuari ad contemplationem Dei.

Pseudo-Bernardus Claraeuallensis, *Tractatus de interiori domo*, 6.12 (PL 184, col.513C-D).